



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XX. Romana Cappellaniarum. Facto legato erectionis certi numeris cappellaniarum, cum certo annuo reddito, puta scutorum centum pro qualibet, si tractu temporis bona legata diminutionem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

Capitul., ista provisio potius rationabilis, & commendabilis dicenda est, quoniam libenter noviter provisum in eo primo anno lætuit, abstinent ab assequutione fructuum acquirendorum, & sic à lucro sine jacturæ rei quasitæ, postmodum verò, illo primo calore refrigerato, cum magna difficultate inducuntur ad contributiones ad id necessarias, ex axiomate, quo etiam Legistæ utuntur, quod turpius eijetur, quam non admittitur hospes.

ROMANA CAPPELLANIARVM

P R O

CAPITVLO S. MARIE MAIORIS

C V M

CAPPELLANIS TOLETANIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Vilitationis Apostolicæ, resolutus pro Capitulo.

Facto legato erectionis certi numeri cappellaniarum cum certo annuo reddito, puta scutorum centum pro quolibet, si tractu temporis bona legata diminutionem patiantur, seu aliàs diminuantur fructus, adeoût tantus redditus percipi non valeat, an diminui debeat earum numerus, vel potius de eius provisum, diminutionem redditus pati debeant.

SVM MARIVM.

- 1 **F** Alti series.
- 2 De suppletionem, vel respectivè diminutionem, si destinatio non sufficit.
- 3 De questione an destinatio sit taxativè, vel demonstrativè.
- 4 Quod questio sit decidenda cum casuum distinctione.
- 5 Distinguntur plures casus cum diversis decisionibus pro eorum diversitate.
- 6 Quando ob diminutionem reddituum possint supprimi canonicatus, vel beneficia.

D I S C. XX.



Orator, & pietate insignis Cardinalis de Tolæto Societatis Iesu, scripta hæredem Imagine Beatiſſimæ Virginis in Basilica S. Mariæ Majoris, mandavit, ut ex pretio ejus honorum, ab executoribus vendendorum, emi deberent tot loca montium, quorum fructus deservire deberent pro tot cappellanis ad Capituli nominationem providendis, ad rationem scutorum centum pro quolibet, eoque tempore attento, ob majorem fructum locorum montium, duodecim cappellaniæ erectæ fuerunt, aliæque duæ postea ex quodam augmento; Cum autem ex eodem casu infirmato in Nepeſina disc. 14., loca montium tam in sorte, seu numero, quam in fructu, notabilem dimi-

Card. de Luca de Legat.

nutione passæ essent, adeoût dictus numerus ad præscriptam rationem scutorum centum pro quolibet, impleri non posset; Hinc proinde cappellani præsentationem excitarunt, ut sequuta duarum cappellaniarum vacatione non posset Capitulum novam facere præsentationem, sed deberent supprimi, atque ita reduci numerus, ad effectum, ut adimpleretur fundatoris voluntas, & quilibet cappellanus haberet in reddito scuta centum, cum ita vix sexaginta obtineret; Atq; re delata ad Sacram Congregationem Apostolicam Vilitationis, contra hujusmodi cappellaniarum præsentationem, prodijt resolutio.

In disputatione autem desuper habita; Scribentes pro cappellanis se fundabant in dispositione ² text. in l. Alumno §. Attie, & l. Titio ff. de annuis legat., quæ jura in proposito expendit Lara de annivers. & cappellan. lib. 1. cap. 3. num. 10. cum seqq.

Atque assumendo questionem, de qua in dicta Nepeſina disc. 14., an scilicet certa destinatio favore piæ causæ, demonstrativam indefinitè importare deberet, fuso calamo deducebant omnia, quæ eod. disc. 14. deducta habentur, transcribendo plenè cumulatam per Rouitum decisione 57., qui examinat questionem ad partes.

In hoc autem, scribens ego pro Capitulo, [quod aliud non habebat in causa interesse, nisi illud juris nominandi, ac majoris Ecclesiæ cultus, unde propterea majus interesse erat nominatorum ad duas cappellaniæ vacatas, quarum suppressio petebatur]; Quatenus ad istam questionem pertinet, advertentiam, ut ad tollenda æquivoca, quorum incurſus in hac materia facilis est, atq; pro conciliatione, seu congrua applicatione doctrinarum, quæ pugnare videntur, eodem modo, quo penè in omnibus fori questionibus, illis præsertim ambiguis voluntatis, facere oportet, plures casus distinguendi veniant.

Primus igitur casus est, ubi testator, pluribus bonis in hæreditate relictis, aliquod pium legatum, seu opus relinquit ex certo prædio, seu certis bonis præstandum, seu implendum, & tunc dictis bonis deficientibus, vel ad integrum opus nõ ascendentibus, intrat questio an hæres universalis ex reliquis bonis in idonea hæreditate existentibus, suppleri teneatur, eaq; decidendam venit cum distinctione, an destinatio sit taxativè, vel demonstrativè; Et quatenus sonus verborum importaret taxativam, intrare solet dubitatio, an favor piæ causæ sit in aliquo operativus ex deductis plenè per Rouit. decis. 57. Castil. lib. 4. cap. 54. numer. 21. cum seqq. cum alijs, de quibus plenius in dicta Nepeſina disc. 14.; Verum hic non erat casus controversiæ, quoniam penès hæredem universalem alia non aderant bona, ex quibus hujusmodi suppletio fieri posset, ideoque extraneæ remanebant auctoritates istum casum percutientes.

Alter casus est, ubi destinatio testatoris est certa, seu taxativa pro certo opere pio implendo, pro quo res, vel quantitas destinata tunc sufficiebat, deinde verò non sufficiat, non ex diminutione rei destinatae, sed ex augmento impensarum pro opere explendo; Ut puta, relinquit testator præstari per hæredem annua scuta 100. pro celebrandis mille missis in perpetuum ad rationem unius julij [qui de tempore dispositionis importabat congruum præmium, seu congruam elemosynam etiam in oneribus perpetuis], si deinde dictum salarium, seu elemosyna augeatur, quia nempe ob adauctum præmium victualium non reputetur sufficiens ad sustentationem sacerdotis, ideoque cum dicto annuo reddito scutorum 100. nõ minuendo, opus esset diminuerè numerum missarum; Et tunc posita suffi-

D cientia

cientia virium hereditiarum, intrat dubitatio, an debeat potius hæres supplere majorem redditum ad id necessarium, vel è converso ipsum pium opus minuendum sit; Et pro diminutione operis latè agit *Brixianus in repertor. decis. Canalcan. verbo verba*; E converso autem pro augmento stipendij, seu suppletionis, ita ut opus non minuatur *Genuen. in practicabil. Eccles. quæst. 179. Ricc. Diana*, & cæteri, de quibus *Barbos. de Episcopo alleg. 29. numer. 7.*, & *Tondur. & alij de quibus dicto disc. 14.*; Sed pariter hic non erat casus; Tum quia penes hæredem non aderant alia bona, ex quibus suppletio fieri posset; Tum ob cessantem rationem, cui hæc posterior opinio innititur, nè scilicet disponentis anima eo majori suffragiorum numero privetur, cum in hac facti specie redditus quamvis diminuti longè excederent præmium missarum, & onerum per testatorem singulis cappellanis adjunctorum.

Tertius est casus, ubi testator dotat Ecclesiam de certo annuo redditu præstando per hæredem, quem liberatum esse disponat cum solutione certæ summæ in forte principali, ex qua investienda testator opinabatur eundem redditum percipi posse, & tunc si ex summa per hæredem soluta id non sequatur, intrat dubitatio, an teneatur supplere, & de hoc punctualiter agit in *Camerinen. actis Eccles. 22. Junij 1650. & 9. Maij 1653. coram Melio*, quarum prima est *decis. 62. par. 11. rec.*, ubi deciditur ad favorem hæredis, quoniam huic ad liberationem obtinendam sufficit præstasse summam à testatore sibi demandatam, ut advertitur *eodem disc. 14.*

Quartus casus est, ubi testator ab initio, ultra ejus vires disponit, faciendo plura legata pia, vel respectivè prophana, ac demandando plura opera, quibus omnibus, bona hereditaria non sufficiant; Et tunc intrat questio contributi, an istud æqualiter de omnibus faciendum sit, vel potius legata seu opera pia debeant prius integrè impleri, atque de hoc agunt *Rouit. decis. 87. Franch. decis. 236. Cappc. Latr. decis. 12. Rub. de testam. ad pias causas cap. 66. num. 14. cum seqq.*, ac habetur alibi auctum hoc eodem titulo, sed pariter non erat iste casus questionis, cum de tempore tam primæ, quam secundæ erectionis, redditus ad integram summam à testatore destinatam essent sufficientes.

Quintus demum est casus controversiæ, ubi scilicet testator omnia ejus bona destinavit in certa opera, ad quæ juxta summam ab eo præscriptas, tunc illa sufficiebant, deinde verò diminuta sint, neque diminutio suppleri possit ex alijs bonis, sed solum intret dubitatio, an potius ipsa opera minui debeant; Et isto casu dicebam, ut sine dubio respondendum esset pro diminutionis exclusione, quoties id, quod pro singulo opere superest, sufficit ad necessitatem, ideoque sola deficientia est in ea majore provisione, quam disponens ad exuberantiam, seu honorificentiam præscripsit, ex regula, quam ex mente *Sac. Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 15.* habemus in materia suppressionis canonicatum, vel beneficiorum ecclesiasticorum, quoniam si certus numerus canonicorum, seu beneficiorum cum pingui præbenda, seu provisione erectus est, non ex eo, quod deinde redditus diminuantur, fit locus suppressioni, nisi in casu magnæ tenuitatis, & inopia, ob quam Ecclesiæ cultus deficiat ex deductis per *Barbos. ad idem Conc. ubi supra. & de potestate Episcopi alleg. 67. num. 1. cum sequen.*, & *de Canonicis capit. 3. numer. 18. cum sequen.*, diu attentio etiam isto redditu sic diminuto in casu cujuslibet vacationis, multi habentur

concurrentes, qui ad hujusmodi cappellaniam assequutionem anhelent; Unde propter hæc cessat ratio desertionis cultus, ob quam suppressionis locus aperitur; Neque urgebat ratio diminutionis suffragiorum, dum currentes redditus superabundabant, ideoque contentio erat de tempore vacationis cappellanorum.

ROMANA

ANNVÆ PRÆSTATIONIS

P R O

FRATRIBVS DE MARESCOTTIS

Responsum pro veritate.

Facto legato annuæ præstationis ad hæredem, an legatarius ab invito hærede petere possit assignationem tot bonorum, ex quibus dictam præstationem manu sua percipere potest. Et è converso, an hæres dictam assignationem legatario invito facere valeat. Et legatarius impedire possit hæredis vacationem officiorum vacabilium in persona legatarij persona cantantium, ut eorum emolumentis legatam præstationem obtineat.

SYMMARIUM.

- 1 **F** Acti series.
- 2 **F** De questione an legatus annuæ præstationis debeatur bona, quotiens reddant.
- 3 Legatum relitum in titulo institutionis non est capiendum à manu hæredis.
- 4 Facto legato annuo de certa quantitate vinearum, restat assignari vinea.
- 5 De materia text. in l. si quis argentum C. de bonat.
- 6 De diversitate rationis in hac materia inter hæredem, & legatarium.
- 7 An relicto assignamento de aliquibus bonis alternativè fieri possit electio partium de uno, & partim de alijs.
- 8 Alternativa quandoque resolvitur in copulationem.
- 9 De eodem text. in l. si quis argentum.
- 10 Usufructuarius non impedit proprietarij vacationem proprietatis.

DISC. XXI.



Omnes Sforzia de Marescotiis merosam habens prolem, cum plura officia vacabilia, præstaret illud Præsidentis Camera in persona unius ex filijs, qui in Præstatura ratione dicti officij se constituit, cum libera reservatione decreti ad ejus favorem; Mortuus autem instituit hærede filio primogenito in cultu Vignanelli, alijsque bonis, facti que alijs præstationibus dispositionibus ad favorem aliorum filiorum dicto filio Prælati, reliquit ad vitam pro ejus decenti sustentatione in eo statu Prælati